



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

XII. De his qui pœnitentiam violantes, rursum prævaricantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De his qui pœnitentiam violantes rursum prævaricantur.

C A P. X I I.

Concil. Au-
 rel. I. c. XI.
 Pœnit.
 Rhab.
 c. 37.

 Pœnit.
 Rhab.
 ibid.

In Concilio Aureliano cap. v i i. scriptum
 „ est de his qui pœnitentiam violent : Hi verò
 „ qui susceptam pœnitentiam religionemque
 „ suæ professionis oblii , ad secularia relabun-
 „ tur , placuit eos à communione suspendi & ab
 „ omnium catholicorum conviviis separari.
 „ Quòd si post interdictum cum eo quisquam
 „ præsumperit manducare , & ipse communio-
 „ ne privetur.

 „ In Concilio Toletano cap. l v . Quicunque
 „ ex secularibus accipientes pœnitentiam se to-
 „ tonderunt , & rursus prævaricantes laici effe-
 „ eti sunt , comprehensi ab Episcopo suo , ad
 „ pœnitentiam , ex qua recesserunt , revocentur.
 „ Quòd si aliqui per pœnitentiam irrevocabiles
 „ sunt , nec admoniti revertuntur , postea coram
 „ Ecclesia anathemate condemnentur ; non ali-
 „ ter quàm hi qui detonsi à parentibus fuerunt,
 „ aut sponte sua , amissis parentibus , seipso re-
 „ ligioni devoverunt , & postea secularrem habi-
 „ tum sumpserunt , iidem à sacerdote deprehen-
 „ si , ad cultum religionis , acta priùs pœniten-
 „ tia , revocentur. Quòd si reverti non possunt,
 „ apostatæ anathematis sententiæ subjiciantur.
 „ Quæ forma servabitur etiam in viduis virginis
 „ búsque sacris ac pœnitentibus feminis quæ
 „ sanctimonialem habitum induerunt , & postea
 „ aut vestem mutaverunt , aut ad nuptias tran-
 „ sierunt.

Ex decretis Siricij Papæ cap. x. De his verò “ non incongruè dilectio tua apostolicam sedem “ credit consulendum qui , acta pœnitentia, “ tanquam canes ac suis ad vomitus pristinos “ & volutabra redeentes , & militiæ cingulum “ & lubricas voluptates & nova conjugia & in- “ hibitos denuo appetivere concubitus; quorum “ professam incontinentiam generati post abso- “ lutionem filij prodidere. De quibus etiam, “ quia suffugium non habent pœnitendi , id du- “ ximus decernendum , ut sola intra Ecclesiam “ fidelibus oratione jungantur , sacræ mysterio- “ rum celebritati , quamvis non mereantur , in- “ tersint , à dominicæ autem mensæ convivio se- “ gregentur ; ut hac saltem distinctione correpti, “ & ipsi in se sua errata castigent , & aliis exem- “ plum tribuant quatenus ab obscenis cupidita- “ tibus retrahantur. Quibus tamen , quia carna- “ li fragilitate cecidere , viatico munere , cùm “ ad Deum cœperint profici , per communio- “ nis gratiam volumus subveniri. Quam for- “ man & circa mulieres , quæ se post pœnitен- “ tiā talibus pollutionibus devinxerunt , ser- “ vandam esse censemus.

Item in Concilio Arelatensi cap. II. Pœni-“ tentes quæ defuncto viro aliis nubere præsum-“ pferunt , vel suspecta vel interdicta familiari-“ tate cum extraneo vixerunt , cum eodem ab “ Ecclesiæ limine arceantur. Hæc etiam de viro “ in pœnitentia posito placuit observari,

§ † §